34. & *agnitio ac ſollicitatio interceſſoris* juſti & accepti *in facinoroſo*, placet *judici miſericordiam ſeriam juſtitiæ miſcenti*, qui impœnitentem, licèt juſto judicio, non tamen ſine magno dolore & propenſione libentiùs parcēdi, occiſurus erat.

35. *Opera alia* fidei ac dilectionis habent ſe ut *fructus & cauſa finalis*,

36. Dei enim opus ſumus, *conditi* in Chriſto Jeſu *ad opera bona*, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus:

37. placentia nunc *inchoatè*, accedente gratioſá imputatione;

38. olim *conſummatè*, abſolutá perfectione.

39. Sunt igitur cauſæ vel *conditiones*, non conſequendi, ſed *retinendi & cognoſcendi*:

40. ſicut *gratitudine* donum firmatur; & ex *fructibus* arbor cognoſcitur, ut non excidatur, ſed & plantaſſe priùs, & porrò colere ac cuſtodire delectet,